



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. An quando baptizatur adultus, requiratur ex parte ejus aliqua
intentio suscipiendi Baptismum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

Quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2. quod in baptismo confertur gratia ad bene vivendum, & peccata tolluntur præterita, & impediuntur futura; & ideo quævis baptismus in fine vite susceptus, plura peccata præterita tolleret, tamen pauciora impediret, & ad pauciora bona promoveret, & ideo minus esset utilis. Præterea multus casibus subsicet humana vitæ, & posset contingere, ut qui baptismum in fine vite accipere, expectaret, morte subitâ preventus, expectatione suâ fraudaretur. Unde Chryostomus homil. 13. ad Hebræos: Multos novi qui hoc passi sunt, qui spe baptismatis multa peccabant: circa diem autem mortis, discesserunt vanc.

Dices, Præcepta affirmativa non obligant, nisi tempore necessitatis: Sed præceptum de baptismo est affirmativum: Ergo non obligat nisi tempore necessitatis, subindeque usque ad finem vite, vel saltem ad longum tempus, sine peccato differri potest. Unde D. Martinus per octo annos mansit Cathecumenus, & S. Ambrosius non erat baptizatus, quando electus fuit Episcopus.

Respondeo quidquid sit de aliis præceptis affirmativis, esse specialem rationem de præcepto baptismi, quia baptismus est necessarius ad inchoandam vitam spirituales, & sine illo non possumus recipere alia sacramenta, quibus Christiana religio colitur, & ideo ne beneficio aliorum sacramentorum frustremur, debemus quanto magis convenienter & commode fieri potest, characterem baptismali insigniri. Prædicti vero sancti ex magna reverentia & humilitate distulerunt baptismum, quia existimabant se ad illius susceptionem non esse sufficienter dispositos, & ideo illorum exempla non sunt trahenda in consequentiam. Unde ut annotavit Baronius tomo 4. anno Christi 377. num. 14. Ipsemet Ambrosius, factus Episcopus, in eo nullus fuit, ut pravam illam consuetudinem, quæ tam in Occidente quam etiam in Oriente usu temporis coaluerat, quæ fideles quamplurimos usque ad provectiorem ætatem baptismum differrent, prout ut malum germen ex agro dominico evelleret; & quod se fecisse doluit, ab aliis ne imposterum fieret, vehementer admonuit. Præstiteruntque hoc ipsum apud Orientales Basilii atque Gregorius Nazianzenus nec non Gregorius Nisenus, ut ipsorum de baptismo edita sententias significant. Demum Ecclesia ut hunc abutulum tolleretur, prohibuit ne Cathecumeni, si essent plenè instructi & idonei, susceptionem baptismatis, ultra vigiliam Paschæ aut Pentecostes differrent, ut constat ex Canone Dno tempora, & ex Canone Catechismus, de consecrat. dist. 4.

Dices, Hæc Ecclesiæ determinatio non potest obligare Cathecumenos, illos saltem qui sunt nati ex infidelibus, quia non subduntur Ecclesiæ: Ergo illi non peccabunt, si ultra illud tempus ab Ecclesia præscriptum differant baptismum.

Respondeo quod quamvis Ecclesia non habeat jurisdictionem directam supra Cathecumenos, nec possit eos cogere ad suscipiendum baptismum, quia tamen præceptum divinum baptismi eos obligat, & Ecclesia habet potestatem determinandi præceptum illud, consequenter etiam & indirectè, potest obligare Cathecumenos ad sumendum baptismum tali tempore, si velint Ecclesiam in terrâ, & eos punire penâ ejectionis, si ejus determinationi non pareant: quomodo Religio obligat Novitios, quamvis ad se non pertinentes, ad proficendum tali tempore, & tali ritu, si ipsam

velint ingredi, & si non obtemperent, punit eos penâ expulsiõis.

ARTICULUS II.

An quando baptizatur adultus, requiratur ex parte eius aliqua intentio suscipiendi Baptismum?

Cum parvuli non sint capaces propriæ intentionis & consensûs voluntatis, evidens est ad valorem baptismi eorum, nullam requiri talem intentionem, sed sufficere voluntatem Christi & Ecclesiæ, quæ tanquam mater præbet ipsis uterum, ut spiritualiter regenerentur, cor ut possint credere, & os ut confiteantur fidem. Quare solum difficultas est de adulto, pro cujus resolutione.

Advertendum est, adultum baptizandum quatuor diversis modis in receptione baptismi se habere posse: Primò ut expressè repugnet & contradicat receptioni illius: Secundo, ut solum coactè, & metu cadente in constantem virum, permittat se baptizari. Tertio, ut interpretativè solum baptizari velit, quando scilicet in vigilia existens, habuit intentionem suscipiendi baptismum, & postea non mutata tali intentione, dormiens baptizatur. Quarto potest adultus ita suscipere baptismum, ut ad illum merè negativè seu indifferenter se habeat, illi nec consentiens nec dissentiens. His præmissis.

Dico primò: Quando adultus expressè repugnat & contradicit receptioni Baptismi, ille invalidus est. Conclusio est certa, & definita ab Innocentio III. in cap. *Maiores* de baptismo, probaturque ratione fundamentali: Cum enim baptismus sit quædam fidei professio, propter quod dicitur sacramentum fidei, sicut nullus repugnans & contradicens susceptioni fidei, recipit fidem, utpote quæ cum rationibus naturalibus non convincat intellectum, sine voluntatis consensu, & obsequio, ac pia ejus motione, non recipitur, ita nec sacramentum Baptismi. Unde D. Thomas quæst. sequenti art. 9. *Deus* (inquit) non cogit hominem ad iustitiam, sicut Damascenus dicit, & ideo ad hoc ut aliquis iustificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur baptismum; & baptismi effectum. Addit Soto, quod cum Deus omnia suaviter disponat, id maxime de fide & lege Evangelica constituit, ut nemo nisi consentiens, Christianus fiat, & Baptismi sacramentum suscipiat.

Dices, Baptizatus se habet sicut patiens in sacramento: A intentione non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis: Ergo ad recipiendum valide baptismum, nulla ex parte baptizandi requiritur intentio, subindeque baptismus erit validus, tamen si ipse repugnet receptioni illius.

Respondeo cum D. Thoma hic art. 7. ad 1. quod in iustificatione quæ fit in baptismo, non est passio coacta, sed voluntaria, & ideo requiritur intentio recipiendi id quod ei datur. Baptizatus enim non est quasi passum merè naturale, veluti stippa dum incenditur, sed est passum rationale & liberum, & ideo requiritur in eo intentio, non quidem agendi, sed liberè recipiendi, quia recipiendo se obligat ad ea quæ sunt vitæ Christianæ propria, & ideo modo humano & libero debet suscipere & sibi imponere statum cui annexa est talis obligatio.

Dico

Dico secundò : Cui ex metu cadente in constantem virum permittit se baptizari, verum suscipit sacramentum. Ita D. Thomas in 4. dist. 6. qu. 1. art. 2. quæstionum. 3. in fine corporis, ubi sic ait : *Sciendum quod non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi quod Ecclesia confert, sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntariis mixtis, ut dicitur 3. Ethic. cap. 2. Et ideo si sit coactio sufficiens, ita quod principium sit ex toto extra, nihil conferente vim passo, ut cum aliquis reclamans immergitur violenter, tunc talis nec sacramentum recipit, nec rem sacramenti. Si autem sit coactio inducens, sicut minus vel flagellis, ita quod baptizatus putius eligeat baptismum suscipere, quam talia pati, tunc suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti.* Idem determinavit Innocentius III. capite citato, approbans definitionem de hoc factam in Concilio Toletano 4. capite 55.

43. Ratio etiam suffragatur : Licet enim qui terrore compulsus permittit se baptizari, nolit conditionaliter baptizari, nempe sub conditione quod posset vitare illa quæ metuit, vult tamen absolute baptizari, sicut qui metu tempestatis projicit merces in mare, vult absolute illas projicere, quamvis secundum quid & sub conditione vellet illas retinere. Ergo verum suscipit sacramentum.

Nec obstat quod consensus ex gravi metu elicitus non sufficiat ad matrimonium, est enim disparitas in hoc, quod cum requiratur contractus validus ad sacramentum matrimonii, valor autem contractus subjiciatur juri civili, postquam tali jure determinatum fuit, contractum ex metu in virum constantem cadente factum, non esse validum, sacramentum matrimonii non habet quod requiritur ad sui valorem, videlicet contractum validum, si ex metu gravi aliquis contraheantem consensum dederit.

44. Dico tertio : Ad hoc ut aliquis validè sacramentum baptismi recipiat, sufficit intentio seu volitio interpretativa; unde si quis in vigilia existens habuit intentionem suscipiendi baptismum, & postea, non mutata tali intentione, dormiens baptizetur, verè baptizatus erit. Ita quoque determinavit Innocentius citatus. Et ratio est, quia ad valorem baptismi minor requiritur voluntas in suscipiente (utpote qui passivè solum ad ipsum concurrat) quam in conferente, qui suam intentionem activè sacramentum producit; subindeque licet minister qui habito proposito alium baptizandi, ipsum postea dormiens baptizaret, non conferret validum sacramentum, validum tamen susciperet, qui inter dormiendum baptizaretur, si prius in vigilia voluisset baptizari, eò quod talis voluntas, secundum prudentem interpretationem, influeret in illam receptionem, nisi qui illam habuit, dormiret. Unde D. Thomas hic art. 12. ad 3. docet quod dormientes, periculo mortis imminente, baptizari debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum.

45. Dico quarto : Ad valorem baptismi in adulto, non sufficit quod ad illum merè negativè seu indifferenter se habeat, illi nec consentiens nec dissentiens, sed requiritur necessariò positiva aliqua intentio illud suscipiendi, præsens, vel præterita. Est contra Cajetanum hic art. 7. Martinum Ledesma, & quosdam alios recentiores Thomistas, existimantes intentionem in baptizato non esse per se necessariam, sed solum per accidens in ad-

ulto, ad tollendam contrariam voluntatem inconstantem sacramento: unde si forte coningeret, homo neuter ad baptismum accederet, hoc non habens, ille verè reciperet sacramentum. Quam sententiam ut probabilem defendit Serra hic art. 7. dubio unico.

Probat tamen conclusio primò ex D. Augustino, dicente (ut refertur de consecrat. dist. 4. Can. Cum à multis) neminem renascentem ex aqua & Spiritu Sancto, nisi volentem : At ille qui ad baptismum merè negativè seu indifferenter se habet, non est volens, ut patet. Ergo ex aqua & Spiritu Sancto non renascitur, subindeque validum sacramentum non suscipit.

Probat secundò ex D. Thoma hic art. 7. ad 2. dicente, quod si adulto deesse intentionem suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus.

Nec valet responsio Cajetani, dicens hoc intelligendum esse de adulto cui deesse intentionem, non verò de eò cui deesse talis intentio, per statum neutrum, & indifferenter ad suscipiendum vel non suscipiendum baptismum non valet, inquam, hæc responsio, seu interpretatio, Tum quia deesse intentionem, non est habere contrariam intentionem, ut de se patet. Tum etiam, quia idem S. Doctor hic art. 12. loquens de amentibus & furiosis dicit, quod si nullo voluntate suscipiendi baptismum in eis apparuit, cum sana mentis essent, non sunt baptizandi, quod falsum esset, si status neuter sufficeret. Et ad hoc docet quod dormientes, periculo mortis imminente, baptizari debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum, sicut & de amentibus dictum est; quod etiam falsum esset, si sufficeret quod illi non contradicerent, seu ad consensum vel dissensum negativè & indifferenter se haberent.

Probat tertio : Si absque intentione præterita, presenti, vel præterita, posset adultus verè baptizari, posset etiam cum intentione non suscipiendi sacramentum baptismi, ipsum validè suscipere : Consequens est falsum, ut patet et dictis in prima conclusione : Ergo &c. Sequitur probatur : In iis in quibus non requiritur voluntas, sive consensus, voluntas contraria nihil obstat, sed impertinenter omnino se habet, ut constat in venditione captivi, ad cuius valorem, sicut captivi ipsius consensus non requiritur, ita neque contraria ejus voluntas, illam impedit.

Probat quarto : Non potest adultus contraheare obligationem ad novam religionem & fidem, nisi positivè id velit : Sed in susceptione baptismi valida, contrahitur obligatio ad novam religionem & fidem, ad eò ut possit consequenter cogi ab Ecclesia ad suam fidem servandam : Ergo nisi positivè velit baptizari, non baptizatus validè.

Respondet Cajetanus, adultum qui nec assensum neque dissentium suscipere, non esse cogendum ad fidem Christianam servandam. Sed verò ait, posse dici non esse inconveniens quod cogi possit ab Ecclesia ad fidem servandam, quod licet ad hoc cogi non possit qui contrariam voluntatem habens baptizatur, bene tamen qui baptizatur, non habens contrariam voluntatem, ut patet in his qui baptizati sunt in pueritia, qui tunc non habuerint contrariam voluntatem.

tamen cogi possunt ad servandam fidem, cum A¹ perveniunt ad adultam aetatem.

Sed contra responsionem Cajetani est, quod valida Baptismi susceptio constituit baptizatum, membrum & civem Reipublicae Christianae: absque fide autem, atque adeo obligatione ad eam, nullus potest esse de numero membrorum & civium talis Reipublicae. Contra responsionem vero Serrae est, quod parvuli quando baptizati sunt, non potuerunt habere voluntatem Baptismi, neque voluntatem Baptismo contrariam, ac proinde non est mirum quod independenter ab eorum voluntate baptizari poterint valide, & consequenter pervenientes ad aetatem adultam, possint cogi ad nostram fidem. At verò adules quando baptizatur, vel saltem antequam baptizaretur, fuit capax propriae voluntatis circa Baptismum vel suscipiendum vel respuendum, ac proinde debet valor ipsius Baptismi ab ea dependere, nec poterit cogi ab Ecclesia ad suam fidem servandam, nisi positivo baptizari voluerit. Quam differentiam insinuavit D. Augustinus libro 4. de Baptismo cap. 24. his verbis: *Cum pro parvulis alii respondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi pro se respondere non possunt. At si pro eis qui respondere potest, alius respondeat, non ad idem valet. Ex qua regula illud Evangelii dicitur, quod omnes, cum legitur, naturaliter manentem habet, ipse pro se loquitur. Ioan. 9.*

Contra istam conclusionem objicit primò Cajetanus: Innocens III. in cap. *Maiores* supra citato, sic concludit: *Tunc ergo characterem Sacramenti imprimi operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenit obstitentem*: Sed in homine cuius voluntas ad suscipiendum Baptismum est indifferens, contrariam voluntatem non invenit: Ergo absque positivo consensu, five intentione praesenti & praeterita, potest illi character Baptismi imprimi, proindeque validus Baptismus conferri.

Respondeo sensum illorum verborum quae favere videntur Cajetano, ex praecedentibus colligi debere, praemiserat enim Pontifex, dormientes & amentes, quando baptizantur, characterem suscipere, *si prius habuissent propositum baptizandi*. Unde cum subdit verba praedicta, *Tunc ergo characterem Sacramentalem imprimi operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenit obstitentem*, notat illationis Ergo, indicat sensum esse, Sacramentalem operationem imprimere characterem, cum non invenit obstitentem obicem voluntatis contrariae, ratione propositi praecedentis, quo virtualiter permanete, talis obex aufertur; idemque proinde est, ac si diceret, cum invenit obicem tantorum per propositum recipiendi Baptismum, quod saltem in virtute remanet.

Objicit secundò: Quod non requiritur ad valorem Sacramenti in uno, non requiritur in alio ad eundem valorem: Sed in parvulis intentio positiva recipiendi Baptismum, non requiritur ad eius valorem: Ergo neque in adultis.

Respondeo primò, negando Majorem, nam in his quae, ut Sacramenta, à voluntate instrumentis dependent, ab uno in aliud non arguitur efficaciter.

Secundò distingo Majorem: Quod non requiritur in uno incapaci illius, non requiritur in alio similiter incapaci, concedo. Non requiritur in uno ad hoc apto, nego. Licet autem infantes sint incapaces propriae intentionis, non tamen adulti.

Tom. V.

Objicies tertio: Concilium Florentinum enumerans ea quae necessaria sunt ad perfectionem Sacramenti, dicit ipsum tribus perfici, materia, forma, & intentione ministri, nullam faciendo mentionem de intentione suscipientis: Ergo illa ad valorem Baptismi non requiritur.

Respondeo idcirco Concilium enumerando quae requiruntur ad perfectionem Sacramenti, nullam de intentione suscipientis fecisse mentionem, primò quia non in omnibus Sacramentis requiritur, nam ad conficiendum Sacramentum Eucharistiae non opus est suscipiente, neque ejus intentione: secundò, quia etiam in susceptione Baptismi, non requiritur intentio suscipientis, si sit parvulus, sed solum si sit adultus.

ARTICULUS III.

An licitum sit pueros infidelium, nondum habentes usum liberi arbitrii, invitis parentibus baptizare.

§. I.

Quibusdam praemisissis referuntur sententiae.

Notandum primò, non esse hic quaestionem, an Baptismus parvulis illis collatus, ratur & validus sit; id enim omnes fere Theologi ut certum supponunt, contra Durandum, ratioque id evidenter demonstrat: Tum quia nihil tali Baptismo deest, quod ad essentiam Baptismi requiratur; est enim materia & forma debita, intentio ministri, & subjectum capax, ex cuius parte, cum sit infans, nullus actus voluntatis requiritur. Tum etiam, quia si pueri infidelium, non tum habentes usum rationis, occidantur, propter Christum, invitis parentibus, sunt verè martyres: Ergo cum martyrium suppleat vicem Baptismi (dicitur enim propterea Baptismus sanguinis) si baptizentur invitis parentibus, talis Baptismus erit validus. Solum ergo difficultas est & controversia inter Theologos, an licitum sit id praestare, & pueros infidelium, nondum habentes usum liberi arbitrii, invitis parentibus baptizare? Pro cuius resolutione.

Notandum secundò, hic non agi de filiis Haereticorum, Schismaticorum, vel aliorum baptizatorum, qui ab Ecclesia receperunt, quia certum est illorum filios, etiam invitis parentibus, licet posse baptizari: nam cum parentes eorum, ratione Baptismi, cogi possint ab Ecclesia ad servandam fidem veram, & praecipua omnia, cogi etiam possunt ad baptizandos filios suos, eo tempore quo de more baptizari consueverunt.

Notandum tertio, infideles non baptizatos esse à thuc in duplici differentia, quoad propositum; quidam enim minime subjecti sunt Principibus Christianis, alii verò eis subjecti sunt: quae subjectio potest esse, vel solum civilis & politica (qualem habent omnes vassalli ad suum Regem, cuius non sunt servi, vel mancipia) vel despotica & servilis, qualis est eorum qui iure belli, vel emptionis, vel alio titulo iusto, in potestatem Christianorum devenerunt. Si quaestio sit de filiis infidelium, qui nullo modo subditi sunt Ecclesiae, certum est, & ab omnibus Theologis admittum, illicitum esse, & contra jus naturale, eos invitis parentibus baptizare: etenim si infideles isti ad ea quae sunt de jure naturae compelli non possunt ab Ecclesia, vel à Principibus

T

pibus